

"Gregorianum,, vol. XVI (1935) pag. 448-451

I. FILOGRASSI S. I.

De processione Spiritus Sancti
secundum operationem voluntatis
in Encyclica Leonis XIII
"Divinum illud Munus,,

ROMA
PONTIFICIA UNIVERSITÀ GREGORIANA
PIAZZA DELLA PILOTTA

"Gregorianum,, vol. XVI (1935) pag. 448-451

I. FILOGRASSI S. I.

**De processione Spiritus Sancti
secundum operationem voluntatis
in Encyclica Leonis XIII
"Divinum illud Munus,,**

**ROMA
PONTIFICIA UNIVERSITÀ GREGORIANA
PIAZZA DELLA PILOTTA**

**De processione Spiritus Sancti
secundum operationem voluntatis
in Encyclica Leonis XIII
"Divinum illud Munus".**

Recentiores theologi, qui de Spiritu Sancto, ut procedente secundum operationem voluntatis, tractaverunt, videntur non attendisse ad Encyclicam « Divinum illud munus » a Leone XIII datam die 9 Maii 1897¹. Non semel nihilominus Pontifex utitur doctrina processionis Spiritus secundum operationem voluntatis, cum, pro fine sibi praestituto, motiva enumerat quae iuvent ad fovendam pietatem erga Spiritum Sanctum.

De appropriatione loquens, secundum quam Patri tribuuntur opera in quibus potentia excellit, Filio ea in quibus excellit sapientia, « ea (opera), inquit, in quibus excellit amor, Spiritui Sancto tribuere consuevit (Ecclesia) (p. 130)..... Spiritus vero Sanctus... qui divina bonitas est ac Patris ipsa Filiique inter se caritas, arcana ea opera de salute hominum sempiterna, impulsione quadam valida suavique complet et perficit » (p. 131).

¹ Leonis XIII Pontificis Maximi Acta, vol. XVII, Romae 1898, p. 122 ss. Ad hanc editionem referuntur semper citationes, cum sola pagina indicatur.

Scopus encyclicae est ut praesentia et virtus Spiritus Sancti ostendatur tum in tota Ecclesia tum in singulorum animis, ut fides excitetur de mysterio augustae Trinitatis et pietas augeatur erga Spiritum Sanctum (p. 127). Virtus Spiritus Sancti ostenditur in ordine ad Christum secundum humanam naturam (p. 131-133); in ordine ad Ecclesiam (p. 133-135); in ordine ad singulas animas (p. 135-142). Inde eruitur officium Spiritus Sancti melius cognoscendi, amandi, exorandi (p. 142-146).

Ipsam Incarnationis mysterium, etsi totius Trinitatis fuit, attamen Spiritui Sancti merito tamquam proprium adscribitur, « qui Patris et Filii est caritas; quum hoc *magnum pietatis Sacramentum*² sit a summa Dei erga homines caritate profectum » (p. 131-132).

Supernaturalis nostra regeneratio et adoptiva filiatio Spiritui Sancto etiam peculiari ratione tribuuntur. « Cui rei declarandae opportuna cadit ea, quam Angelicus perspexit, similitudo inter utramque Spiritus Sancti operam; quippe per eum ipsum et *Christus est in sanctitate conceptus ut esset Filius Dei naturalis, et alii sanctificantur ut sint filii Dei adoptivi*³. Ita, multo quidem nobiliter quam in rerum natura fiat, ab amore oritur spiritualis regeneratio, ab Amore scilicet increato » (p. 138).

Huius regenerationis initia sunt homini per baptismum, in quo illabitur primum Spiritus Sanctus; uberius autem per sacram confirmationem dono sese dat idem Spiritus, qui non solum divinum munerum est auctor, sed etiam « munus ipse est supremum, quia a mutuo Patris Filiique Amore procedens, iure habetur et nuncupatur *altissimi donum Dei* » (p. 138-139).

Inter munera divina illud praecipue considerandum venit quod *inhabitatio* dicitur et « de Spiritu Sancto tamquam peculiaris praedicatur. Siquidem divinae et potentiae et sapientiae vel in homine improbo apparent vestigia; caritatis, quae propria Spiritus veluti nota est, alius nemo nisi iustus est particeps. Atque illud cum re cohaeret, eundem Spiritum nominari Sanctum, ideo etiam quod ipse, primus summusque Amor, animos moveat agatque ad sanctitatem, quae demum amore in Deum continetur... Inhabitantem in animis piis Spiritum Sanctum ubertas munerum caelestium multis modis consequitur. Nam, quae est Aquinatis doctrina⁴, *quum Spiritus Sanctus procedat ut amor, procedit in ratione doni primi, unde dicit Augustinus*⁵ *quod per donum quod est Spiritus Sanctus, multa propria dona dividuntur membris Christi* » (p. 139-140).

Denique omnia dicta fere resumit Leo XIII, cum expositio-

² 1 Tim. 3, 16.

³ S. th. III, q. 32, a. 1.

⁴ S. th., I, q. 38, a. 2.

⁵ De Trinitate, l. 15 c. 19 n. 34 ML, 42,1084 « Per donum, quod est Spiritus Sanctus, in communi omnibus membris Christi multa dona, quae sunt quibusque propria, dividuntur. Non enim singuli quique habent omnia,

nem doctrinalem sic concludit. « Itaque divinus Spiritus in aeterno sanctitatis lumine a Patre et a Verbo procedens, amor idem et donum, postquam se per velamen imaginum in testamento veteri exhibuit, plenam sui copiam effudit in Christum in eiusque corpus mysticum, quae est Ecclesia; atque homines in pravitatem et corruptelam abeuntes praesentia et gratia sua tam salutariter revocavit, ut iam non de terra terreni, longe alia saperent et vellent, quasi de caelo caelestes » (p. 141-142).

Inde sequitur amorem deberi Spiritui Sancto, « quia Deus est... Amandusque idem est, quippe substantialis, aeternus, primus amor; amore autem nihil est amabilius multoque id magis quia summis ipse nos cumulavit beneficiis (p. 143). Quanticumque sumus, tanti sumus ex bonitate divina, quae eidem Spiritui praesertim adscribitur » (p. 144).

* * *

Ex omnibus allatis textibus apparet hanc Spiritus Sancti notam Summum Pontificem ut praecipuum habere in eaque suam fundare doctrinam: Spiritus Sanctus est Amor — primus — summus⁶ — increatus — aeternus — substantialis⁷; est Caritas Patris et Filii, a mutuo Patris Filiique amore procedens⁸ — est divina Bo-

sed hi illa, alii alia; quamvis ipsum donum, a quo cuique propria dividuntur, omnes habeant, id est, Spiritum Sanctum ».

⁶ « Spiritus quoque Sanctus sive sit summa caritas utrumque coniungens, nosque subiungens... » August. De Trinitate, l. 7, c. 2, n. 2 ML 42, 938.

⁷ « Caritas substantialis et consubstantialis amborum » August. In Ioan. tract. 105, n. 5 ML, 35, 1904. Superfluum est animadvertere « substantialis » hic stare pro « subsistens, personalis ». Cf. S. Thomam S. th. I q. 37 a. 1: « nomen amoris in divinis sumi potest essentialiter et personaliter et secundum quod personaliter sumitur, est proprium nomen Spiritus Sancti, sicut Verbum est proprium nomen Filii ».

⁸ « Quisquis itaque nominat Patrem et Filium, oportet ibi intelligat tamquam caritatem invicem Patri et Filii, quod est Spiritus Sanctus » S. August. In Ioan. tract. 9, n. 8 ML 35, 1462. Cf. tract. 20, n. 3 ib. 1558; de Trinit. l. 15, c. 17, n. 27 ML 42, 1080. In Sanctissima Trinitate mutuos Patris et Filii Amor in eo consistit, quod Pater et Filius tamquam unum principium originant Amorem subsistentem. « Ex hoc ipso, quod Pater et Filius, se mutuo amant, oportet quod mutuos amor, qui est Spiritus Sanctus, ab utroque procedat » S. Thomas S. th. I, q. 37, a. 1 ad 3. Posset

nitatis, Amor vivificans (p. 127). Eo ipso quod est Amor, est etiam Donum secundum processionem aeternam, non « ex eo quod actu datur, sed in quantum habet aptitudinem ut possit dari — Unde ab aeterno dicitur donum, licet ex tempore detur »⁹.

Iterum ex eo quod est Amor, est etiam Spiritus peculiari ratione Sanctus: « quia igitur persona divina procedit per modum amoris, quo Deus amatur convenienter Spiritus Sanctus nominatur »¹⁰.

Explicationes a S. Thoma desumptae aptum constituunt Encyclicae commentarium. Etenim Summus Pontifex ad Thomam et ad Augustinum, praecipue — ne dicam fere unice — respexisse videtur, eorumque doctrinam suam facere voluisse. Frequentes occurrunt ex S. Thoma et Augustino citationes in Encyclica — Praeter duos hos doctores, bis citatur Leo Magnus (p. 126, 136); bis Basilius (p. 127, 132); semel Cyrillus Hieros. (p. 133); semel Chrysostomus (p. 134); semel Cyrillus Alex. (p. 137).

Doctrina contenta in Encyclica « Divinum illud munus » iu-
verit fortasse ad firmiorem reddendam argumentationem theologiam, et ad aptiorem theologiam notam assignandam assertioni, qua tenemus Spiritum Sanctum procedere secundum operationem voluntatis¹¹.

I. FILOGRASSI, S. I.

quidem mutus ille amor minus recte intelligi, quasi dicat distinctum Patris et distinctum Filii amorem ad invicem, cum tamen amor essentialis et notionalis Patris et Filii unus idemque sit. Quod iure observat P. Galtier, et eo usque procedit ut asserat: « ad quaestionem num Spiritus Sanctus procedat ex amore mutuo Patris et Filii; responderi debet potius negative » (*De SS. Trinitate in se et in nobis*, Parisiis, 1933 p. 264 n. 374).

⁹ S. Thomas, S. th. I, q. 38, a. 1 ad 3.

¹⁰ S. th. I q. 36 ad 1. S. Thomas (*Comp. Theol. c. 47*) dicit Spiritum vocari Sanctum ex hoc quod « cum bonum amatum habeat rationem finis, ex fine autem motus voluntarius bonus vel malus reddatur, necesse est, quod amor quo ipsum summum bonum amatur, quod Deus est, eminentem quandam obtineat bonitatem, quae nomine sanctitatis exprimitur ». Item Augustinus: « Vocatur Spiritus Sanctus, tamquam sanctitas substantialis et consubstantialis amborum. Sed nihil aliud est bonitas divina, quam sanctitas » *De civit. Dei*, l. 11, c. 24 ML 41, 337-338.

¹¹ F. Cavallera (*Thesaurus doctrinae catholicae*, m. 540-548) plura ex Encyclica affert. Optandum ut etiam in *Enchiridio symbolorum* insigne hoc documentum pontificium locum sibi debitum obtineat.

Existencia non est perfectio quod sed quod - unde dicitur sine assistentia humana
sed unus homo - sed unus homo ratione essentiali humana - assistit assistentia Verbi